



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 170. Seditio Bohemiæ Procerum in Podiebracium postea a Papa
anathemate perculsum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

§. CLXIX.

*Nuncius Papæ in caussa Bohemorum
ad Imperatorem.*

Sæcul. XV.

A. C. 1466

Re intellecta Podiebracius quoque ceterorum Regni Procerum nomine, quos sibi propensos habebat, Romam scribi curavit, & obsidionis causam in Stenconis crimina rejecit, ac insuper Legatum ad Imperatorem mitti postulavit, ut ab ipso de tota rei serie Cæsar edoceret, eademque occasione, ut inquit Podiebracius, cum eodem Legato de Bohemia ad fidem orthodoxam revocanda agi posset. Pontifex fraudem Podiebracii animadvertens, jussa sua non revocavit, Rudolphum tamen Episcopum ad Imperatorem misit, eique negotium dedit, nequid cum Rege Bohemo aut ejusdem Ministris tractaret, priusquam obsidionem arcis Zorastenæ solutam cognovisset. Ast Podiebracius contemptis Papæ monitis Zarastenses annali obsidione arcte pressos demum ad deditionem compulit.

§. CLXX.

Seditio Bohemiæ Procerum in Podiebracium postea a Papa anathemate percussum.

Pontifex hanc Regis pertinaciam haud parum indignatus, confestim Rudolphum
Hist. Eccles. Tom. XXIX. P pho

Sæcul. XV.
A C 1466.

pho in mandatis dedit, ut singulos Germaniæ Principes adiret, eisque rem gestam exponeret, atque Pontificis nomine rogaret, ne impedimento essent, quo minus iudicium de Bohemiæ Rege captum redintegrari posset. Una omnium fuit responsio, scire Pontificem, quid sui officii esset, facturos se, quod probos deceret catholicos, non posse tamen se, donec Podiebracium Ecclesia hæreticum iudicasset, a fœderibus ejus discedere. Eodem tempore, omnes Regni Proceres Catholici, Stenconis exemplo territi, suum quoque exitium verebantur; hinc a Rege defeecerunt, ac sese Wratislaviensibus, aliisque, qui jam antea jugum ejus excusserant, junxerunt; cum vero iidem etiam Sacramenti, quod Podiebracio præstiterant, religione absolvi peterent, confestim a data fide liberati sunt. Demum dies, quo Romæ iudicio se sisteret, publico decreto Regi dictus est, ac Rudolpho mandatum, ut auxilia adversus eum conquireret, ac si opus esset, Cruciatam palam decerneret. Nihilominus Podiebracius Catholicos Proceres persequi non destitit, & ad diem condictam nec ipse comparuit, nec suos Romam ablegavit; Quare Pontifex, cum omnes Cardinales ceterique Antistites, & Doctores convocati consensissent, cunctaque ad ferendam sententiam necessaria de more fuissent præmissa

missa, Regem de perjurio, sacrilegio, ac Sæcul. XV.
 hæresi convictum declaravit, atque ad A C 1466.
 versus illum excommunicationis sententiam, quam eidem Papa jam a longo tempore minitabatur, pronuntiavit.

§. CLXXI.

Idem per Papæ sententiam regno privatus.

Ea nihilominus cura Papam haud parum sollicitum habebat, ut Virum in-
 veniret, qui excommunicationis decretum *Papiens. epist. 262.*
 executioni mandari curaret. Cæsar enim Podiebracium aperto Marte aggredi, foedusque cum eo initum rescindere detrectabat; Poloniæ ac Hungariæ Reges itidem Bohemum sibi infensum redere timebant, cum aliunde domesticis belli tumultibus impliciti essent: Bohemis autem regni Proceribus non satis virium ad exequendam hanc sententiam erat: ceteri vero nimia loci distantia prohibebantur. Cum igitur Papa iudicium suum, nisi effectui daretur, ludibrio exponi pertimesceret, sententiam differre decrevit. Ast Cardinalis Carvajalus in quodam Patrum Senatu hac super re habito verba fecit: non sunt, inquit, omnia humanis judiciis metienda, in rebus arduis maxima spes in Dei auxilio reponenda; quod si nec Imperator, nec Polo-
 P 2 nus